UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Alij item sanantur ægroti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Visual Library

cibo refici cœpta est, magnaq; suorum gratulatione melius habebat in dies, breuique pristinæ firmitati restitua est.

Eius rei testes iuratos, oculatosque habemus duos.

Alexander Fulignius eodem anno, Decembri exeunte ex intestinis laborare cũ cœpisset (eo enim morbo grauissimè frequenter opprimi se sentit) B. Philippi opem initio morbi implorans omnem à se dolorem, omnemque morbum repente abegit.

Iesu Christi anno 1597 — Clem. VIII. Pap. anno 5.6

Alij item sanantur ægroti.

Eam rem hic ipse sacerdos iureiurando explicuit.

ANno deinde post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo septimo ineunte Ioan. Baptistę Felici sacerdoti quinque & septuaginta annos nato, dentes dolebãt accerrimè: is porrò dolor eiusmodi est, vt maximis tormentis adnumerari possit: cumque in singula

penè momenta ingrauesceret, gingiuis, dentibusq; sudariolo B. Patris admoto, totus continuò dolor, totusque morbus discutitur.

Hoc etiam anno nobilis vir Marcus Antonius Sanctus cognomento, cum Martio mense, ex pestilenti febre in vitæ periculum incidisset, salute à medicis desperata, noctu aliquot B. Philippi capillis, qui in thecam asseruabantur, sibi ad collum alligatis extemplò melius habere cœpit, vitam in tuto ea ipsa nocte reposuit, quatuor vix intermissis diebus planè conualuit? tum gratijs Deo, Beatoque Patri auidè, impensèque actis votiuam argenteam imaginem, pondere egregiam, Neapoli Romam ad eius sepulchrum voti exoluendi causa mittit.

Eodem anno, pridie kalen. Apriles Marcellus Laurentius nunc Strongulensis Episcopus adeò vehementibus ilium doloribus repen-

Præter ipsũ Marcellũ testes duo oculati, iuratiq; rem enunciarunt.

tinò

nò corripitur, vt ſibi ex hac vita, ni Deus ſuccurrat, migrandum fore pro certo haberet: cumq; ij dolores quatuor circiter iam horas hominẽ tenuiſſent, vnus ex domeſticis B. Patrem ei ad memoriam reducit; commenda te, dicebat, Beato Philippo, implora Sancti viri auxilium: haud dubiè aderit tibi opem laturus: Paret ille, Philippum appellat, ſed ne multa; ad eius mox nominis inuocationem totus is dolor abit, æger ſomno corripitur, pauloq; poſt experrectus (dormierat enim ad quadrantem horę) grandis calculus pineæ nucis magnitudinem æquans exit: Philippi deprecatione, id ille profitetur, à præſenti periculo vindicatus.

Id præter ipſum Fabium duo alij teſtes ſacramẽto firmarunt.

Hoc etiam anno, Maio menſe Fabio Apicellæ nobili medico ciui Neapolitano ex pedibus laboranti, ilium dolores acceſſerant: dolorum talis erat impetus, vt eum omni prorſus quiete priuaret: ergo hu-

manis

manis remedijs ſpretis, vt quæ nihil morbo prodeſſent Beati Philippi capillos affectæ parti admouet; nec id ſanè fruſtra: Calculus extemplò ad veſicam deſcendit, dolor omnis euaneſcit, vrina nullo impedimento redditur, calculo iter patet, erat is pineæ nucis magnitudinem explens. Quibus ille attonitus id nõ humana arte, ſed diuina prorſus ope, nempe Beati viri interceſſione factum eſſe publico teſtimonio confirmauit.

Alio deinde tempore, cum eodem dolore de nocte premeretur eodẽ vſus remedio illico conualuit.

Hoc ipſo anno, extremo Maio ad ſepulchri ornatum Lychnus acceſſit penſilis ex celato argento affabrè factus, votiuum donum primariæ feminæ, cuius nomen quod ipſa latere voluit, ſilentio præterimus.

Eodem anno, Iulio menſe puerulum quatuor annorum, cui Ioſepho Sermeo eſt nomẽ, grauiſſimus

Teſtes tres iurati oculati.

dolor

dolor cum ardenti febre plures dies occuparat: morbus adeò vehemens, vt ægri ſalus omnium opinione in periculo eſſet: tres iam abierant dies, cum præter terna oui lutea nihil in cibum ſumpſerat; malo interim magis, magiſque ingraueſcente, propinquæ mortis accedũt indicia, ſudor frigidus circa frontem, totius corporis laſſitudo, brachiorum, pedumque extenſio, oculi clauſi, ſpiritus difficultas, corpus, cui nullus ſuberat calor: mali etiam morbi teſtimonium erat, puerulum neque videre, neque loqui. Hæc vbi eius mater aduertit, telæ fruſtum B. Philippi ſanguine imbutum ei animam fermè agenti imponit: nec mora; puerulus confeſtim oculos aperit, matrẽ clara voce inclamat: è lectulo ſanus, vegetuſque exilit; cibum petit; pannis ſe induit; domum ſolus inambulat, matre, patre, aliiſque, qui aderant obſtupeſcentibus, ac lacrymantibus gaudio.

Hoc

Hoc etiam anno Hortensia Lelia febri continenti, increscenteque assiduè, acgrauissimis stomachi doloribus Augusto mense laborans, vt vidit febrim non modò medicamentis non finiri, sed ne vix quicquam eius remitti, ad morbi remedium capillis B. Patris vti in animũ inducit: ergo illis sibi admotis, doloribus continuò leuari cœpit: neq; hic stetit res; febris eodẽ die ex toto desijt: misit tum Romã, vt quæ extra Vrbem domicilium habet, qui sepulchro B. Patris ad miraculi testimonium votiuam sui imaginem affigeret.

Eius rei iuratos oculatosque testes habemus.

Iesu Christi anno 1598.99 | Clem. VIII. Pap. anno 7.8

Archangela Ancaiana sanitati restituta.

QVotidiana, atq; perniciosa febris Archangelam Ancaianam virginem Deo Spoleti sacram in S. Catharinæ cœnobio quinque totos annos occupauerat; cumque duo-

Testes octo iurati, oculatique, & in ijs vnus est medicus qui agram curabat.